PRO S. JOANNIS DE MATHA

Fundatoris Ordinis Sanctiſſimæ Trinitatis; Qui vulgo Mathurinorum vocatur, ad Captivorum redemptionem inſtituti,

PANEGYRICO.

MONITUM.

DUO extant in Eccleſia inſignes Regularium Ordines pro captivis de crudeli infidelium ſervitute liberandis. S. Joannes de Matha eorum primum inſtituit titulo Trinitatis, *qui de Inſtitutoris nomine* Mathurinorum, *vocatur. Ordo alter ad eumdem finem inſtitutus de Mercede appellatur, cujus S. Petrus Nolaſco eſt Patriarcha.*

Fateor equidem nunquam ſatis dignis laudibus celebrari poſſe non ſolum heroicam duorum horum hominum ſanctitatem, qui tanta felicitate opera ſua collocarunt ad captivorum redemptionem, & hac arte non corporum tantum, verum etiam animarum ſalutem procurarunt; ſed etiam ardentem eorum zelum, qui eximiis hiſce duobus Inſtitutoribus ſocios ſeſe addiderunt, puta S. Felicis de Valois, qui prioris collega fuit: & utriuſque Raymundi, alterius quidem de Pennafort, alterius vero Nonnati; qui in laborum, meritorum, & coronarum ſecundi partem acceſſere. Non ad evitandum laborem quærendi, & colligendi rerum copiam, ac ſupellectilem ad utriuſque Sancti peculiariter laudes celebrandas, de uno Sancto Joanne de Matha, qui prior eſt, verba facienda mihi propoſui; ſed cum eadem utriuſque fuerint conſilia, idemque opus fuerint aggreſſi, in quo præcipuum laudum utriuſque argumentum ſitum eſt; eadem mihi repetenda eſſent conſilia, ſucceſſus iidem, eædemque fere actiones cum iiſdem virtutibus. Hoc autem non prohibebit, quo minus qui in S. Felicis Valeſii laudibus texendis operam tranſmittent, vel qui laudaturi ſunt aliquem ex ſociis S. Petri Nolaſco, paucis mutatis circumſtantiis inveniant in hoc, quod in rem ſuam aptiſſime transferant.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Variæ Sermonum de S. Joanne de Matha, aliiſque, qui eumdem ſibi finem propoſuerunt, ſtructuræ.

Pro themate aſſumentes ex S. Pauli verba; *Miniſterium meum honorificabo*. Ad Rom. 11.

I. COnſiderare poſſumus Sanctum Joannem de Matha ſub triplici qualitate, vel miniſterio, quod cum honore exercuit, & quod magna luce inſignivit propter præclara ipſius in Eccleſiam merita.

Prima harum qualitatum illa eſt Inſtitutoris Ordinis Religioſi, qui voto, ac profeſſione ſollemni ſe ſe obſtringit ad liberandos de Infidelium manu Captivos. In his collectaneis invenies, quonam modo Sanctus hic Vir munus hoc tam glorioſum, atque arduum obierit; ſed tam neglectum, antequam Deus per peculiarem in Eccleſiæ ſuæ bonum providentiam evocaſſet fideles hoſce duos Miniſtros Joannem de Matha, ac Felicem Valeſium, qui hoc munere defuncti ſunt caritate adeo ardenti, atque adeo mirabili eventu, ut præter temporale, & ſpirituale bonum, quod illi procurarunt hodieque procuratur calamitoſiſſimis captivis, miniſterium hoc evaſerit Religioni noſtræ in paucis utiliſſimum, atque glorioſiſſimum.

Qualitas altera eſt Inquiſitoris contra hæreſim Albigenſium, qui plurimos Chriſtianos prævertebant. Oſtendere poſſumus, ſimul ac ampliſſimum hoc munus ac ſummopere ad fidei puritatem ſartam tectam neceſſarium S. Joanni de Matha demandatum fuit, ipſum enixe, & tanta cum felicitate illud obiiſſe, ut ex locis omnibus, quo obrepſerat, recenteſque in dies ſingulos progreſſus faciebat hæreſis, illam ejecerit, atque eliminaverit, ita ut in dubium reliquerit, utrum de Eccleſia melius meritus ſit, eam liberans ab errore, qui per integras late provincias graſſabatur, an liberans Captivos illos de barbarorum eripiens poteſtate, quod Miniſterium Summi Pontificis juſſu interpellaverat.

Tertia denique qualitas eſt Apoſtoli, & Evangelici Præconis; quod munus eo obiit zelo, qui cum Apoſtolico eſt comparandus. Gallia, Hiſpania, Italia zeli hujus ardorem expertæ ſunt, & admirabili, quem inde perceperunt, fructu gaviſæ; potiſſimum vero Dalmatiæ regnum, quod modo in Othomanorum ditione ſitum eſt, illum ſuum agnovit Apoſtolum propter multitudinem peccatorum quos convertit, propter vitia, ac ſcelera, quæ illic impune graſſabantur, ſed quæ ille protinus exterminavit; ac demum propter pietatem, quam ibi inſtituit, & coluit.

II. *Redemptionem miſit Deus populo ſuo*. Pſ. 110. S. Joannes de Matha, ut Cæleſti reſponderet vocationi, qua ad Captivorum procurandam libertatem deligebatur; 1. Fecit ſemetipſum Jeſu Chriſti captivum, ut loquitur S. Paulus, voluntaria, glorioſaque ſervitute, quæ liberavit eum a mundi, atque earum cupiditatum omnium jugo, quæ in captivitatem aſſerunt eos omnes, qui ſe ſe illis mancipant, & quos circumligant funibus non ita facile diſſolvendis. 2. Joannes de Matha J. C. captivus feliciter incubuit ad liberanda corpora, & animas eorum, qui ſub Infidelium, & ſæpe etiam ſub dæmonis ipſius tyrannide gemunt. Hæc duplex eſt pars hujus Sermonis.

Pro priori: Oſtendendum eſt, quo pacto Dei amor, cujus effectus eſt captivare cor, ſimul vindicaverit in libertatem cor Sancti hujus; 1. ex ſervitute mundi per omnimodam terrenarum rerum abdicationem, per vota Religionis, juxta formam Ordinis, quem inſtituit in hunc finem. 2. Ex ſervitute omnium cupiditatum, quæ obicem ſtatuere potuerant divinis de eodem conſiliis, puta, ambitionis, jactantiæ, deſiderii divitiarum, &c. 3. ex ſervitute inconditi amoris erga corpus ſuum, quod Sanctus iſte, non ſecus ac S. Paulus, in ſervitutem redegit. *Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo*. Per hæc ille ſe ſe diſpoſuit, ut cooperaretur ad redemptionem captivorum, & ut abſolutiſſime obiret miniſterium adeo ſanctum atque glorioſum. Videamus quomodo id præſtiterit, & adeo eximium opus feliciter ad finem perduxerit. Hæc eſt pars altera.

Pro altera vero oſtendendum eſt, 1. Quomodo ad id incubuerit per ſe, per publicam, ſollemnemque profeſſionem poſtquam huic ſe ſe devoverat miniſterio & peculiari voto ſuperaddito votis aliis Religionis, quod ſecernit hunc Ordinem ab aliis ſocietatibus, quibus hoc munus impoſitum non eſt. Sed quo zelo, quibus laboribus, quot vitæ ſuæ periculis hoc munere perfunctus eſt? 2. Cum ſolus per ſe minime poſſet magnum hoc opus perficere, Ordinem Religioſum inſtituit a Summis Pontificibus approbatum, ut in eumdem finem cooperaretur, ac perpetuum atque conſtans efficeret hoc opus caritatis, quo nullum perfectius erga proximum poteſt exerceri. 3. Semet, totumque Ordinem ſuum eo modo devinxit, quo non alius eſt perfectior, a cupiditate alienior, ac magis heroicus; quia ipſe, & Religioſi illius ſemet tanquam obſides præbent, atque ſponſores, & nonnunquam etiam in pretium redemptionis captivorum barbaris illis ab omni humanitatis ſenſu abhorrentibus mancipant. Nimirum ſe ipſos captivos exhibent, ut liberent alios a captivitate, quod prodigii loco habendum eſt.

III. *Caritas Chriſti urget nos*. 1. Corinth. 5. Hæc Pauli verba commode tribui poſſent S. Joanni de Matha, qui ardentiſſima erga Deum actus caritate exercuit, exercetque adhuc per Ordinem ſuum præſtantiſſimum caritatis corporalis actum erga proximum: 1. Redimendo miſeros gementes ſub Barbarorum imperio, eiſque reddendo libertatem, quæ bonorum omnium pretioſiſſimum eſt. 2. Eruendo illos ex ærumnis morte ipſa deterioribus, & ex cruciatibus, quibus torquentur. Quid enim in calamitoſa captivitate illa non patiuntur? 3. Educendo ex moleſtiſſimo, ac teterrimo exſilio, quo nocentes plecti valeant; quia libertate hujuſmodi calamitoſis reddita illi in patriam revertuntur, ubi ſe ipſos recreare poſſint, vel fidelium opibus recreari.

Secundo. Sanctus hic Patriarcha ejuſdem caritatis impetu actus hoc exercet miniſterium modo adhuc præſtantiori per auxilia ſpiritualia, quæ calamitoſis illis ſuppeditat. 1. Illos conſolatur æternæ felicitatis ſpe, piiſque ſenſibus, quos illis inſpirat; illos ad patientiam hortatur, quos liberare, & aliter juvare non poteſt. 2. Prohibet ne deſperent, ne fidei abrenuntient, illecti ſpe futurum, ut mitius cum illis agatur. 3. Denique illos duplici liberat captivitate corporis videlicet & animæ per documenta, ac optima, quæ illis præbet, conſilia.

IV. *Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti*. 1. Cor. 4. Vere dicere poſſumus S. Joannem de Matha in Captivorum redemptione perfecte imitatum fuiſſe Dei Filium.

1. Quemadmodum Jeſus Chriſtus cum eſſet locuples, & fons omnium divitiarum, tamen ad extremam ſe ſe redegit paupertatem, ut nos locupletaret; ita S. Joannes de Matha, cum dives eſſet, atque jus haberet ad majorum ſuorum hæreditatem, huic nuntium miſit, atque ad indigentiam ſe redegit ut ditaret pauperes, quibus illam large effuſeque donavit.

2. Quemadmodum J. C. poſt relictas, quas in ſinu Patris ſui divitias poſſidebat, ſe ipſum etiam tradidit, ſemet impendens ad diſſolvenda omnia omnium peccatorum debita; ita Sanctus noſter, poſtquam omnia erogaſſet bona ſua, neque aliud ſupereſſet ſibi, quam ipſe, ſtatuit ſe ipſum tradere in cautionem pro captivis.

3. Quemadmodum J. C. ſe ipſum tradidit pro captivis, qui libertatis ſuæ jacturam paſſi ſub dæmonis tyrannide languebant, & in Cælum aſcendens in locum ſuum Paſtores ſuffecit, qui operam collocarent in peccatoribus de dæmonum ſervitute liberandis: ita Sanctus noſter Patriarcha votum emiſit ſe ſe pro captivis tradendi, ſeu pro eorum redemptione pretium ſolvendo, ſeu ſemetipſum pro illis obſidem, vademque præbendo: atque Ordinem inſtituit, qui deinceps admirabile hoc caritatis opus perennaret. *Sermo MS.*

V. *Redemptionem miſit populo ſuo*. Pſ. 110. Cum per explicitum Domini imperium S. Joannes de Matha Sanctos Religioſos inſtituerit Captivorum redemptioni devotos, hæc Regii Pſaltis verba ad unguem illi congruunt, & per ea oſtendere poſſumus.

1. S. Joannem de Matha patrem eſſe Captivorum. 1. Quia illos alit in ipſorum captivitate ſubſidiis, tum quæ ipſe illi præſtat, tum illis, quæ in ſpiritualibus æque, ac corporeis illis procurat. 2. Quia illos petit J. C., nutantem eorum fidem ſuſtentans contra ſollicitationes inimicorum Religionis, qui ſæpius illis offerunt libertatem, ſi J. C. & Evangelio abrenuntient.

2. S. Joannem de Matha eſſe Captivorum Patronum ac Redemptorem. 1. Pro illis redemptionis pretium perſolvens poſtquam illos in captivitatis ærumnis conſolatus eſt, & numerata obtinens pecunia, ut cum illis mitius agatur. 2. Eos in fide confirmans, & proſcribens ne urgentibus inimicorum fidei ſollicitationibus cedant. Igitur Sanctus hic noſter Pater eſt Captivorum, ut eos inter captivitatis calamitates recreet; eorumque Redemptor eſt, ut ex periculo damnationis æternæ ſurripiat. *Sermo MS.*

VI. *Eleemoſynas illius enarrabit omnis Eccleſia Sanctorum*. Eccli. 3. Secundum allati textus verba dicere poſſumus:

1. Seu ſpectetur S. Joannes de Matha tanquam privatus, ſeu tanquam Ordinis ſui Inſtitutor, exercuiſſe præceptum eleemoſynæ corporalis & ſpiritualis egregie; quod enim ſpectat ad corporalem eleemoſynam, tanquam privatus, diſtribuit non ſolum bonorum ſuorum ſuperfluum, vel partem illius, quod illi ad victum erat neceſſarium, verum etiam ſe ipſum exinanivit, omnia ſine ulla exceptione diſpertiens. 2. Exercuiſſe deinde ſpiritualem etiam eleemoſynam, utendo corporali tanquam medio, ut perveniret ad finem longe ampliorem, ac præſtantiorem, videlicet reficiendi animam, prohibendo ne incidat in deſperationem, eique oſtendendo adeſſe Deum, qui remuneratur paupertatem, quam pro ejus amore quis pertulit, & J. C. polliceri ſublimem gloriæ gradum iis, qui ſe ipſos ſanctificant per paupertatem, ſive ultronea illa ſit, ſive acceptata cum ſubmiſſione ad divinæ providentiæ placitum.

2. Si ſpectetur S. Joannes de Matha tamquam perſona publica, & tamquam Magni Ordinis Caput, exercuit ille erga proximum eleemoſynam, 1. Per manus filiorum ſuorum, qui Sancti Inſtitutoris ſpiritum aſſecuti ſunt, ſe ſe ad paupertatem redigentium ad eos, qui in neceſſitate ſunt poſiti, ſublevandos; & eos vero præſertim, qui omnibus egent, quales ſunt captivi apud Infideles, 2. Per manus locupletum, atque potentium, quibus ille, ac ſui oſtenderunt validiſſimam ad ſe ſe bonis ſpiritualibus locupletandos rationem eſſe intueri J. C. non ſolum pauperem; verum etiam captivum; & in vinculis poſitum. Ita S. Joannes de Matha exercuit caritatem, & per ſe ipſum, & per ſuos. *Et eleemoſynas illius enarrabit omnis Eccleſia Sanctorum.*

VII. S. Joanni de Matha applicari poſſunt illa S. Pauli verba, quibus uſus eſt Apoſtolus ad Philemonis cor permovendum, *Ego vinctus in Domino*; & oſtendi poteſt, 1. S. Joannem fuiſſe captivum amoris Jeſu Chriſti. 2. Fuiſſe captivum amoris proximi ſui.

Ad priorem partem exornandam oſtendi poteſt, quemadmodum victor omnibus bonis exuit eos, quos jure victoriæ ſuos efficit, ita illis ipſam quoque adimere libertatem, eoſque in opera, quæ ſibi magis placuerit, impendere. Ita J. C. amor S. Joannem ſpoliavit. 1. Bonis omnibus. 2. Illi ademit libertatem, per ea vota, quibus ille ſe addixit. Eumque coegit, ut pro ipſius gloria labores ſuſciperet. Triplici hoc charactere facile eſt oſtendere Sanctum hunc vere captivum eſſe amoris J. C.. *Ego vinctus in Domino.*

Ad oſtendendum autem ipſum captivum fuiſſe amoris proximi, ſatis eſt probaſſe, illum fuiſſe divini amoris captivum, qui ab amore proximi divelli nullatenus poteſt. Hoc autem facili negotio probatur. 1. Quia ſemper concupivit opem ferre pauperibus, & captivis, quinimmo etiam ſe pro illis vadem, ſponſoremque, præbere, ſeque in eorum vincula tradere. 2. Quia deſideriis addidit facta, ſe ipſum in hoc opus impendens, atque inſtituens Ordinem, cujus officium eſſet in Captivorum redemptione verſari.

PARAGRAPHUS II.

Fontes ex quibus hauriri copia poteſt ad propoſitas Sermonum Synopſes exornandas, & Auctores, qui de hoc agunt Argumento.

INter opera Innocentii III. pulcherrima invenies elogia vitæ, ac laborum S. Joannis de Matha. Auctores qui verba fecerunt de S. Joanne de Matha cum elogio, vel qui vitam ejus ſcripſerunt.

Bzovius in ſupplemento Annalium Baronii ad annum 1194.

Sabellicus in Enneade quinta verba facit de inſtitutione Ordinis Sanctiſſimæ Trinitatis per Sanctum Joannem de Matha.

Chaſſanæus de hoc verba facit in libro de Mundi gloria parte quarta.

Aubertus Miræus in Originibus Monaſteriorum.

Octavius Pancirolus in libro, cui titulus: *Theſaurus abſconditus urbis Romæ*, verba facit de S. Joanne de Matha; ubi agit de illius vita, morte ac ſepultura.

Valerius Andreas Belga in Belgica Bibliotheca.

Didacus Guſman Sancti noſtri collegit hiſtoriam, ex archiviis, & MSS. Conventuum Ordinis.

Inter Opera, & Chronica Patrum Ficqueras Carpi, & Lopez, qui eruditiſſimi habentur, uberior, quam alibi hujus argumenti copia invenietur.

Pater Macedo ex S. Franciſci Familia lucubratus eſt vitam S. Joannis de Matha, & S. Felicis Valeſii, ex peculiari devotione, qua illos proſequebatur.

P. Elias de Rochefort ex reformata Congregatione Ordinis Sanctiſſimæ Trinitatis in lucem edidit compendium vitæ eorumdem Sanctorum.

Tritemius Abbas, Poſſevinus, Cardinalis Bellarminus aliique plures Auctores de hoc ſummis cum laudibus loquuntur.

Adeſt & liber, quem Religioſus aliquis ex Ordine ſuo edidit, continens vitas S. Joannis de Matha, & S. Felicis Valeſii Inſtitutorum Ordinis Trinitatis, & Redemptionis Captivorum. Hinc ea mutuati ſumus, quæ ad Sancti noſtri Panegyricum texendum melius poterunt conferre.

P. Croiſet in ſuis Aſceticis exercitationibus pro Menſe Februario eximium habet compendium vitæ, ac factorum Sancti hujus.

Nonniſi manuſcriptos de S. Joanne de Matha Sermones inveni, non ſecus ac de S. Petro Nolaſco Ordinis de Mercede Inſtitutore. Concionatores Recentes. Biroat tamen edidit Panegyricum Beatæ Virginis ſub hoc titulo de Mercede, ubi plurima inveniuntur ad S. Nolaſcum pertinentia, eique cum S. Joanne de Matha communia.

Idem Biroat Sermonem habet in laudem Sancti Raymundi Nonnati de Mercede, & Pater Senault Oratorii alterum ejuſdem argumenti, ubi plures ſunt loci, qui S. Joanni de Matha poſſunt congruere.

PARAGRAPHUS III.

Loci, exempla, & Biblicæ applicationes ad S. Joannem de Matha quatenus Redemptionis Captivorum inſtitutorem.

Loci.

SPiritus Domini ſuper me, eo quod unxerit Dominus me, ad annuntiandum manſuetis miſit me, ut mederer contritis corde, & prædicarem captivis indulgentiam, & clauſis apertionem, ut conſolarer omnes lugentes, ut darem eis coronam pro cinere, oleum gaudii pro luctu, pallium laudis pro ſpiritu mœroris. Iſaiæ 61.

Mementote diei hujus, in qua egreſſi eſtis de Ægypto, & de domo ſervitutis, quoniam in manu forti eduxit vos de loco iſto. Exod. 13.

Reducet Dominus captivitatem tuam, & miſerebitur tui. Deuter. 30.

Populus tuus eſt, & hæreditas tua, quos eduxiſti de terra Ægypti, & de medio Fornacis ferreæ. 3. Reg. 8.

Tribulatio proxima eſt, & non eſt, qui adjuvet. Pſ. 21.

Clamaverunt juſti, & Dominus exaudivit eos, & ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos. Pſ. 3b.

Cum averterit Deus captivitatem plebis ſuæ, exultabit Jacob, & lætabitur Iſrael. Pſ. 13. 7.

Mitto vos ſicut oves in medio luporum. Matth. 10.

Qua libertate Chriſtus vos liberavit. ad Gal. 4.

Venite benedicti Patris mei.... In carcere eram, & viſitaſtis me. Matth. 25.

Amen dico vobis, quandiu feciſtis uni ex fratribus meis minimis, mihi feciſtis. Ibidem.

Vinctis compaſſi eſtis. ad Hebr. 10.

Mementote vinctorum. Ibid. 13.

Ego vinctus Chriſti Jeſu. ad Philem. 1.

Optabam ego ipſe anathema eſſe a Chriſto pro fratribus meis, qui ſunt cognati mei ſecundum carnem. ad Rom. 9.

Volebamus tradere vobis non ſolum Evangelium Dei, ſed etiam animas noſtras, quoniam cariſſimi nobis facti eſtis. 1. Theſſ. 2.

In hoc cognovimus caritatem Dei, quoniam ille animam ſuam pro nobis poſuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere. Joann. 3.

Obſecro vos ego vinctus in Domino, ut digne ambuletis vocatione, qua vocati eſtis cum omni humilitate, & manſuetudine. Epheſ. 4.

Redemptionem miſit Dominus populo ſuo. Pſ. 10.

Caritas Chriſti urget nos. ad Cor. 5.

Exempla, & figuræ ex Bibliis depromptæ.

S. Joannes de Matha comparatur Moyſi, qui divinitus ereptus fuit ex aquis Nili.

PRovidentia, quæ Moyſem ex univerſali cæde, qua omnes filii Iſrael ad necem conquirebantur, ex Nili fluctibus eripuerat, ubi centies illi pereundum fuiſſet; expectavit donec illi per ætatem par eſſet gratiam referendo, ac libertatem pro libertate retribuendo, educens populum hunc de captivitate, in qua jampridem jacebat. Magnus hic legiſlator cum jam adoleviſſet, re ipſa ſuam replevit vocationem cogens Ægyptium Regem, ut Iſraelitis iter permitteret in deſertum, ubi Deo vero erant ſacrificaturi. S. Joanni de Matha nonnihil huic ſimile contigit. Quippe Dei Filius non illum ex procelloſo Mundi hujus Oceano ſubduxerat, ubi periculum aderat, ut mergeretur, niſi ut illum deſtinaret ad educendos captivos Chriſti cultores de captivitate, in qua apud Barbaros detinebantur; namque ad vocationem hanc implendam, recens novum ſancti Inſtituti genus comminiſcitur, quod explicito voto ſe ſe adigat, ac ſollemni profeſſione ſe adſtringat ad liberandos Chriſtifideles, qui in Infidelium carceribus detinentur, eoſque, ut ſancti hujus Inſtituti profeſſores recipiant, atque polliceantur fore, ut propriam etiam libertatem obligent ad procurandum alienam. Non ſecus ac ille primus legiſlator ſuam libertatem, ac vitam periculo objecit, ut Dei populum liberaret: Sanctus noſter Patriarcha ſemetipſum expoſuit, ut omnia ſuſtineret a Barbarorum ſævitia ad liberandos de captivitate Chriſtianos, qui in eorum vinculis gemunt.

Deus, ut olim Moyſi, ita S. Joanni de Matha hoc de medio flammæ præcipit.

In Sancti hujus Patriarchæ vita illud potiſſimum adnotandum eſt, quod vitæ ejus narrant Hiſtorici, nempe dum Pariſienſis Antiſtes illum ſacerdotali gradu inſigniret, impoſitiſque manibus ea pronuntiaret verba: *Accipe Spiritum Sanctum*, repente igneam columnam palam de Cælo dilapſam ſuper Sancti noſtri caput quieviſſe: unde pii viri argumentati ſunt unctionem Spiritus S. in anima illius operatam fuiſſe eodem temporis articulo, quo Præſul illi manus imponebat, eique ſacrum hunc imprimebat characterem, quo a mundo, omnibuſque mundanis rebus ſecernebatur. Deumque ſenſibili hoc prodigio connotaſſe, Sanctum hunc gloriæ ſuæ devotum jam eſſe, & ad miniſteria ſuo amore, & caritate digna eſſe deſtinatum. Nam ſicut Deus uti volebat Sancti hujus viri miniſterio ut ex Barbarorum manu liberaret Fideles in adeo crudeli ſervitute gementes; videtur, huic inter flammas munus hoc voluiſſe committere quemadmodum Moyſi præceperat de ardenti, incombuſtoque rubo, ut populum ſuum de Ægypti educeret ſervitute. Hæ ſaltem fuerunt ſapientes eorum animadverſiones, qui huic adfuerunt prodigio, ubi audiverunt Deum in Eccleſia novum Ordinem invexiſſe Captivis redimendis devotum.

S. Joannes collatus cũ J. C. quærente ovem quæ peribat.

Veritas eſt magna cum reverentia admittenda, Dei Filium in mundum veniſſe ad peccatores nequiſſimos convertendos; Ipſe in montibus reliquit oves novem ac nonaginta, quas in tuto eſſe putabat, ut illam quæreret, quæ majori in periculo verſabatur. Nequiſſimus quiſque peccator fit miſſionis ejuſdem ſubjectum, quia peccatores ſunt objectum amoris ejus; & ſi Phariſæi ſuperbi hoc in illo exprobrare auſi ſunt, illis reſpondit, ſe veniſſe ad eos curandos, qui ægrotabant, & fore, ut illos Publicani in regnum cæleſtem præcederent. Joannes de Matha eodem animatus ſpiritu ægros inquirit, ut curet; derelictos, ut adjuvet; pauperrimos, ut eis ferat opem. Pauperes, qui in patria ſua patiuntur, ſuos habent Paſtores, & homines caritate refertos, qui eis afferre poſſunt ſolatia; ſed quiſnam erit patris, patronique loco Fidelibus, qui in infidelium manus inciderunt? Barbaris in regionibus illis, quin fratres inveniant, qui ærumnarum miſerti eos recreent, inveniunt Tyrannos, qui tribulationes eorum ſibi vertunt in ludibrium. Vita eorum juge Martyrium eſt; mala ſunt extrema; ſed Joannis caritas non ſecus ac illa Salvatoris noſtri nullis eſt finibus circumſcripta. Se ſe devovet quæſiturus eos, qui ex Fidelibus ſunt maxime derelicti, licet maria ſint traducenda, periculo objicienda libertas, atque adeo ipſa etiam vita, ut illis opituletur.

Quomodo S. Joannes ſpectaret labores atque pericula quibus ſe ſe objiciebat captivorũ redemptionem exercens.

Tertullianus loquens de carceribus, atque vinculis primorum Fidelium, qui Martyrio ſubeundo erant deſtinati, eos Academias vocabat, ubi teterrimis ſuppliciis perferendis ſe ſe præparabant; ita S. Joannes de Matha ſpectabat vincula, & captivitatem, cui ſe ipſum, ac Religioſos ſuos objiciebat, ſuum inſtituens Ordinem. Ex inde præparavit cor, animumque ſuum ad vincula in Barbarorum carceribus perferenda. Lenitas, quam cum Infidelibus iſtis ſeſe gerit, primum eſt adminiculum, quo utitur votorum ſummam conſecuturus, eorumque ſævitiam ſuperaturus. Ipſorum quoque utitur avaritia, ut de eorum crudelitate triumphet. Jam optatæ victoriæ partem retulit, cumque tunc prima vice non poſſet perſolvere pretium redemptionis pro omnibus captivis, ultro propoſuit, ſe libentiſſime permanſurum in vinculis, ut libertatis ſuæ jactura ſuppleret parti pecuniæ illius, quæ ad omnes redimendos requirebatur, niſi Deus aliunde ſuppeditaſſet ea, quæ deerant; ne Sanctus hic Patriarcha in ſervitutem abduceretur. O admirabilem Joannis caritatem; quæ magnificum perhibet teſtimonium ardori zeli ipſius, & quæ effecit, ut ille inſignem referret victoriam de ſe ipſo, de Chriſtianorum captivitate, de crudelitate Barbarorum, & de furore Dæmonum ſitientium ſanguinem fidelium!

S. Joannes comparatur cũ Habacuc prandium ferenti ad Danielẽ in lacum Leonum.

Teſtantur Scripturæ, Danielem Prophetam, cum captivus eſſet, & projectus in lacum Leonum, ereptum fuiſſe ex manifeſto periculo, in quo verſabatur, ut a terribilibus illis feris diſcerperetur. Alia in parte præparabat Habacuc meſſoribus prandium, cum Angelus illum crinibus arreptum repente tranſtulit ſecus hujus lacus oram, ut Prophetæ fame laboranti ſubveniret: *Portavit illum capillo capitis ſui.* (*Dan.* 14.) Nonne hæc nativa eſt imago piæ intentionis Joannis de Matha, & ſpiritus Inſtituti ſui? Quandoquidem de induſtria Ordinem ſuum inſtituit in hunc finem inviſendi Fideles captivos, vinculis onuſtos in carceribus, quos comparare poſſumus lacui Leonum, in quem conjectus fuerat Daniel; quoniam horum barbarorum crudelitas immitior, & periculoſior eſt, quam eſurientium Leonum. At quinam eſt Angelus ille, qui transfert S. Joannem de Matha ultra maria? Nempe magnitudo ſuæ caritatis, pia Sanctorum Filiorum ejus miſeratio, qui ſubierunt onus hoc adeo Angelis quidem jucundum, hominibus vero proficuum. Sed ſicut Angelus capillo attollit Habacuc; ita unicum requiritur ſuperioris Joannis de Matha imperium, ut filios ſuos transferat ad exemplum Patris per fluctus atque procellas: beatiores hac in re, quam Habacuc, quod Sancto huic viro ſatis non eſt alere captivos, ſed illos e carceribus educens catenas illorum infringit.

Comparatur Samaritano Evãgelico.

Cum Samaritanus incidit in viatorem a latronibus ſecus vias Jerichuntis vulneribus confectum nulla alia de cauſſa miſertus fuit, niſi propter ipſam humanitatem, quam pauper ille ſaucius præſeferebat. Hic ſibi ſimilis erat: hic erat caro ſua; ſe in illo ſaucium, & mortui proximum intuebatur. Secernimus hoc in loco ſenſus Religionis, qui ſancto Inſtitutori noſtro detegebant Dei Filium, qui captivitatem patiebatur in perſona Fidelium captivorum; naturæ ſolius ſenſus conſideremus. Cum ille præditus eſſet tenero corde, quod facile alienis afficiebatur calamitatibus, atque infortuniis condolebat, quippe cui alte menti inſidebat magnum illud naturæ principium: Aliis fac, quod tibi fieri velles ab aliis; videbat ſe in proximo ſuo, qui alter erat ipſe; & rectum cor illius ſatis erat, ut ad captivorum ſolatium impelleretur. Sed ubi naturali huic inſtituto alia accedunt argumenta, quæ Religio ſuppeditat, & quibus Sanctus ille vir maxime commovebatur, dicere poſſumus illum martyrem fuiſſe, cum fratres ſuos in captivitatis ſqualore videbat, & illum ſibimet ſubſidium attuliſſe, cum eorum miſeriis opem afferre nitebatur.

S. Joannes de Matha comparatur S. Paulo, cui Macedo apparuit eum obteſtaturus, ut opẽ ferret populo eum expectanti.

Sancto huic noſtro accidit viſio illi ſimilis, quæ S. Paulo obtigit, qui viſus ſibi eſt videre Macedonem in ſomnis eo in ſtatu, qui cor illius ad miſericordiam ciebat, humilibus, enixiſque precibus deprecantem, ut relicta ea regione, in qua verſabatur, traduceret in Macedoniam, ut populos de idololatriæ tenebris educeret, oſtendendo illis divinum illud lumen, quod in Mundum venerat, ut omnes homines illuminaret. Ita S. Joannes de Matha caritate refertus erga captivos, eorum ſentiens ærumnas, quaſi ille ipſe in captivitate fuiſſet, ſecum recogitans conſilia, quibus illos eriperet e captivitate, ubi gemebant. Has inter cogitationes quibus ſollicita caritas urgebat illum, ut modum excogitaret illis opem ferendi, non Macedo quidam, ſed Angelus apparuit illi habens utrinque captivum catenis vinctum, invitaturus eum, ut illos de captivitate liberaret, qui S. Joanni mentem immiſit Ordinem inſtituendi, qui erga Fideles in captivitate poſitos eamdem haberent caritatem & zelum, ut illis opitularentur, eoſque eriperent de ſervitute. Ambigi nequit, quo minus ſi cogitaremus pœnas, atque cruciatus, quibus ſubeundis quotidie calamitoſi illi obnoxii ſunt, adniteremur imitari Magni iſtius Sancti viri exemplum, aliquid ſaltem ex opibus noſtris collaturi, ut ex ſtatu adeo triſti ac duro illos liberaremus.

Cõparatur S. Petro in carcere poſito, qui liberatus fuit ab Angelo.

Apoſtolorum Actus teſtantur, cum S. Petrus in carceris ſqualore detineretur Eccleſiam preces fudiſſe, ut a Deo illius libertatem obtineret, & a Deo Angelum miſſum fuiſſe, qui eum liberaret. Dicere ſimiliter poſſumus, Divinam Providentiam miſertam malorum Eccleſiæ ſuæ miſiſſe S. Joannem de Matha, velut Angelum, ut liberaret eos ex hujus Eccleſiæ membris, qui in barbarorum carceribus erant catenis onuſti. Et profecto quis dubitat divinam Providentiam, & precibus fidelium, & aſpectu malorum, quæ captivi patiuntur, non immittere liberatores Angelos ad infringenda vincula & catenas, quibus ſervi ſui diſtinentur apud inimicos gloriæ ſuæ, ut eorum opera illis impertiat gratias, quæ neceſſe ſunt ad illos in fide roborandos tot inter ærumnas, quibus in infidelium carceribus conficiuntur? Nonne dicere poſſumus, hos Angelos eſſe S. Joannem de Matha, & Religioſos illius, qui viſibilium inſtar Angelorum traducunt maria, ſuſtinent procellas & tempeſtates Oceani eodem munere perfuncturi, quo ſpirituales illæ mentes, non ſolum in animas miſerorum cæleſtes conſolationes infundentes, ſed educentes etiam eorum corpora de putidis carceribus, ubi jampridem inſepulti jacebant?

Sanctus hic Patriarcha Ordinem ſuum inſtituit inſtar conſuetudinem primorum fideliũ redimendi captivos eiſque opitulandi.

Pia erat inter primos Fideles conſuetudo inter ſe ſtipem colligere ad reficienda Chriſti membra, quæ in ærumnis, & in egeſtate ſquallebant. Mos hic pluribus ſæculis obtinuit

ſo

in Eccleſia, cumque pii exercebant viri, quibus nihil erat antiquius quam educere fratres ſuos e vinculis, atque compedibus. Illi, qui in Clericis præſtabant, ideo vivere videbantur, ut eleemoſynis libertatem, atque vitam redderent iis, qui in carcerum tenebris jacebant; & Cypriani, Ambroſiique palam prædicabant, nulli rei parcendum eſſe, ut omnia pietatis, & caritatis munera præberentur iis, quos fides ſua, vel infortunium ad incitas redegiſſet; & ſæpe ſacram etiam ſupellectilem, & vaſa venumdabant, ut de barbarorum manibus id redimerent, quod Salvator de morte æterna, & dæmonum poteſtate redemerat. Paulini ſe ipſos vendebant, ut ſuas oves redimerent, & Sancti Patres ſe beatos exiſtimaſſent, ut dictitabant, ſi licuiſſet illis ſemet venumdare, ut aliquem ex vinculis poſſent educere. Ad Sanctorum horum Epiſcoporum imitationem S. Joannes de Matha ordinem inſtituit, cujus munus præcipuum eſſet ſe ſe mancipare huic operi caritatis captivos de infidelium manibus redimenti. Ipſe hoc igne caritatis ſuccenſus dicebat, ſi potuiſſet ad divini Præceptoris exemplum obire vitam pro fratrum ſalute, ſe hanc ceteris quibuſcumque gratiis prælaturum; adeo flagrabat hoc igne ſacro, quem Dei Filius in terras attulerat ea mente, ut inde omnia corda inflammaret.

Applicatio quorumdam locorum Scripturæ S. Joanni de Matha, Sancto Petro Nolaſco, & S. Raymundo Nonnato.

SPiritus Domini ſuper me, eo quod Dominus unxerit me, ut mederer contritis corde. Iſaiæ 6. Omnes Eccleſiæ Patres hæc Prophetæ verba applicuerunt J. C. Et ſane ambigi nequit, quo minus hoc oraculum ad divini Meſſiæ perſonam pertineat, quandoquidem ille ſibi hæc verba vindicavit in cœtu Judæorum, cum poſtquam locum hunc legiſſet, dixit illis: Quod hodierna die auditis, complementum eſt biblici illius verbi. Verum licet ſacrum iſtud oraculum proprie Mundi Salvatorem reſpiciat, ſuper quem requievit Spiritus S. cum omnium donorum ſuorum multitudine, reſpicit quoque miniſtros illius, potiſſimum vero S. Joannem de Matha. Et ſane nonne Spiritus Domini ſuper Sanctum hunc requievit, nonne illum unctione ſua conſecravit, ut mitteret illum ad evangelizandum pauperibus, ad eos curandos, qui erant contriti corde, ad nuntiandam captivis proximam libertatem, & ad eripiendos ex vinculis omnes, qui vincti gemebant? *Ut mederer contritis corde, & prædicarem captivis indulgentiam, & clauſis apertionem; & prædicarem annum acceptabilem Domini: ut conſolarer omnes lugentes.* Poteſt ne verbis magis perſpicuis denotari Sancti hujus Joannis de Matha vocatio? Verba, quæ Meſſiam deſignant, non ne connotant etiam magnum hunc Dei famulum, ordinemque illius, cujus omne munus, ac finis eſt ſolatium afferre fidelibus captivis, contritis corde, eorum infringere vincula, eoſque in libertatem vindicare.

Poſſumus quodammodo ipſum redimere redemptorẽ ſolatiũ ferentes captivis, & eorum libertatem procurantes.

Quod uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. Matthæi 25. Verba hæc a Salvatore ipſo prolata palam oſtendunt per ſingularem amoris ſui applicationem illum ſemet poſuiſſe in perſona pauperum, captivorum, & eorum, qui injuſte aliorum ſuſtinent perſecutionem, ut cieat in nobis caritatem ac efficientius hominum corda commoveat cogitatione hujus fœderis, quod habent cum illo: & ſicuti Patres vulgo dicunt Dei Filium pati in omnibus membris ſuis, eſurire in perſona pauperis, ſitire in perſona ſitientis; dicere etiam poſſumus illum captivum eſſe inter barbaros in perſona captivorum, & eadem vincula, quibus miſerorum fidelium manus adſtringuntur, nectere quodammodo ipſam J. C. libertatem; idque eo magis, quod præter ſenſibiles eas calamitates, quæ oculis noſtris videntur, non deeſt in carceribus illis captivitas inviſibilis, quæ prohibet Sanguinis ejuſdem efficientiam, prohibens libertatem Evangelii? Hæc erat S. Cypriani ſententia, cum hac uſus eſt ratione ad Fidelium pietatem excitandam, eiſque perſuadendum, ut adirent carceres Martyribus ibi in compedibus poſitis opem laturi. *In Captivis Fratribus nobis contemplandus eſt Chriſtus; & redimendus eſt de captivitate, qui nos redemit de morte.* Utiminor ergo oculis fidei, & Chriſtianæ pietatis luminibus, ut videatis Salvatorem, eumque in fratrum veſtrorum perſona reficiatis. Opus eſt, ut illum de ſervitute eruatis, qui vos de morte eruit, & ſcidit catena, quæ dæmonum tyrannidi ſubjiciebant. Ille veſter Redemptor fuit; eſtote quodammodo Redemptores illius. Dux vobis erit S. Joannes de Matha in pio hoc opere; ille vobis viam ſtravit, quæ fortaſſe inhoſpita videbatur; fuit ille captivorum redemptor; vox ex parte ſaltem eſtote, effuſas ad eos mittentes eleemoſynas. *Biroat.*

Infinita Jo: de Matha, & S. Felicis Valeſii caritas.

Iſti ſunt viri Miſericordiæ, quorum pietates non defuerunt: cum ſemine eorum permanent bona. Eccli. 44. Mundi Principes gloriam ſuam ex ipſo nomine ſuo, ac terris, vel urbibus, quas poſſident, vel quas ſibi adepti ſunt, ſive everterunt, depromunt. Sancti vero magnitudinem ſuam mutuantur ex ſanctitate vitæ ſuæ, & ex beneficiis, quæ in proximum contulerunt. Hæc eorum eſt gloria, hinc appellantur caritate pleni, & miſericordes: *Iſti ſunt viri miſericordiæ.* Joannes de Matha, & Felix Valeſius, hi duo eximii Servi Dei haberi debent tanquam viri duo Miſericordiæ, & infinitæ caritatis. Hi ultro citroque ſeſe animarunt ad ſanctum hoc exercitium, & viſi ſunt famulari, atque opitulari pauperibus ſancta cum æmulatione. Sed quibuſnam pauperibus tulerunt opem? derelictiſſimis, iis, quibus ſpes omnis dempta erat revidendi patriam, & ſuos; illis, quorum fides periculum ſubierat inter Infideles naufragium faciendi; illis quorum fides multis variiſque artibus tentabatur modo blanditiis, modo cruciatibus, atque crudelitate. Hæc ſunt objecta perennis caritatis virorum iſtorum miſericordiæ. *Iſti ſunt viri miſericordiæ &c.*

S. Joannes novam caritatis ſpeciem antea inuſitatam excogitavit.

Nam cum liber eſſem ex omnibus, omnium me ſervum feci, ut plures lucrifacerem. 1. Ad Corinth. 9. Qui vero ſuccenſus eſt zelo, intelligit quamcumque jacturam lucrum eſſe, cum hac ratione animas Deo lucrari poſſumus. Cum aſſequimur rite ſpiritum ſervitutis J. C., nihil nobis humile, ac nimis abjectum videtur. Sancta cupiditas ſalutis animarum jugulat honoris cupiditatem. Ecce tibi Sanctum virum, qui non abnuit in captivitatem abduci cum captivis, ut illos de crudelis ſervitutis jugo ſurripiat. Jactura hæc, quæ omnium maxima dicitur, quandoquidem nihil libertate pretioſius, & antiquius, illi tamen fit lucrum, ita enim animas J. C. lucratur. Servitus hæc, cui ſe objicit, nihil habet humile, & abjectum; quandoquidem ipſe J. C. humiliavit ſe factus omnium ſervus, quo pacto pretioſam hanc extulit captivitatem ſuper omnem celſitudinem. Servitutem hanc ſanctam, & nobilem Sancti noſtri Patriarchæ Joannis de Matha Filii ſibi cooptaverunt, eodem ſuccenſi ſpiritu, quo celeberrimus eorum Inſtitutor; & non renuunt inter vincula detineri, ut ex illis Chriſti Fideles eximant. Hactenus ille opes ſuas impenderat, ut eſurientes aleret, ac nudos veſtiret; ſed ecce recentem miſericordiæ ſpeciem eo præſtantiorem, quo magis ignorabatur, hoc eſt ſuam etiam libertatem, vitamque ipſam periculo objicere ad fratrum ſuorum vincula infringenda, plureſque Deo animas lucrandas.

Convertit miſerorum lacrimas in voces exultationis propter inexpectatam eorum liberationem.

In convertendo Dominus captivitatem Sion, facti ſumus ſicut conſolati. Pſal. 125. Diuturnitas captivitatis Iſrael, & modica ſpes, quæ illis affulgebat libertatis aſſequendæ, omnem illis adimebat ſpem: & quo magis hæc videbatur abeſſe, eo jucundior accidit ipſis conſolatio, cum ex ſervitutis jugo erepti fuerunt, ita ut ſecundum vim verborum autographi, liberatio ipſa illis ſomnium viſa fuerit. Sed nonne in hac captivitate Sion, & in gaudio, quo tunc populus ille exultavit, videmus imaginem eorum, quæ evenerunt, cum S. Joannes de Matha prodiit ad captivos de Infidelium manibus eripiendos? Tunc dici potuit inter gentes, magnificatus eſt Dominus facere cum eis; tunc miſeri illi captivi ineffabilibus conſolationibus repleti ſunt, & jure in epicinia, & gaudii cantica proruperunt: *Tunc repletum eſt gaudio os noſtrum, & lingua noſtra exultatione.* Fierine poteſt, ut in his heroice factis Sancti hujus noſtri non admiremur opus liberalis dexteræ Dei in miſerorum eorum captivorum favorem? Nonne magnum hoc fuit ſtuporis argumentum qui id intuiti ſecum dictitabant: *Magnificavit Dominus facere cum eis*; & captivi illi, facti liberi, jure ſuo concinebant: *Magnificavit Dominus facere nobiſcum.* Deus vincula noſtra confringens liberalis magnificentiæ ſuæ præbuit exemplum.

Adventus S. Joannis in Africam comparatus cum adventu Filii Dei in Mundũ.

Magnificavit Dominus facere nobiſcum; facti ſumus lætantes. Pſ. 125. Nobis aperuit Dominus theſauros magnificentiæ ſuæ; quod nos affecit lætitia. Non ſecus ac veteres Iſraelitæ de captivitate ſua in libertatem aſſerti, non reparata ſolum libertate gaudebant, ſed lætabantur etiam quod Dei ſui providentia, ac bonitas ab omnibus gentibus prædicaretur, & gloria afficeretur; namque ſemper ad ſupremam hanc gloriam omnia referenda accepta ſunt: ita Fideles captivi per S. Joannem de Matha liberati triplici ex cauſſa exultabant, prima quarum erat, quod inde cognoſceretur Deus, & a nationibus omnibus celebraretur, ac diceretur feciſſe magnalia apud eum per ſervum ſuum: deinde quod Benefactoris ſui gloria apud gentes inclareſceret; denique vero quia flentes in lacrimis miſiſſent ſemina ſua, & in gaudio, ac exultatione meſſem peragerent. Ita Domine, S. Joannis de Matha miniſterium nobis iterum ob oculos ſtatuit, & antiquas miſericordias tuas erga Patres noſtros, quos de Ægyptia captivitate liberaſti per fulgentia miracula, & recentes miſericordias, quas per J. C. filium tuum ſuper fideles effudiſti. Etenim nonne ſanctus ejuſdem adventus illis fuit dies redemptionis, quemadmodum fuit adventus famuli tui Joannis in Africam, ut Chriſtianos captivos educeret? Utrique erant captivi, utrique in tenebris erant, ſedebantque in regione umbræ mortis, cum lux illis oborta eſt, qua illuminati fuerunt: *Sedentibus in regione umbræ mortis, lux orta eſt eis*; (*Matth.* 4.) Cum hoc tamen diſcrimine, quod J. C. lucis origo eſt, Joannes autem lucem mutuatus eſt ab eo, qui illuminat omnem hominem venientem in Mundum.

S. Joannes de Matha miſſus à Deo pro captivis fidelibus redimendis.

Redemptionem miſit Dominus populo ſuo. Pater æternus homines ea caritate complexus eſt, ut illis dederit Unigenitum Filium in pretium redemptionis eorum, & ut illos ex dura dæmonis eriperet captivitate. Filius vero homines ita dilexit, ut ſe ſe pro illis tradere voluerit, non ſolum, ut pro illis perſolveret, eo modo, qui celſitudini illius non videretur officere, ſed qui illum uſque ad mortis crucem humiliaret, patientem pro illis, qui pati debuiſſent. Captivos autem ita Dominus adamavit, ut ſuſcitaverit S. Joannem de Matha, qui illos & de infidelium jugo, & de peccati, dæmoniſque ſervitute redimeret. Omnia concurrunt, ut nos de hac Dei voluntate in hoc Sancto Viro perſuadeant; quippe omnia bona ſua tribuens potius oculis conjicit in pauperes captivos,

quam

quam in alios; qui non in tanto periculo verſantur. Itaque dignus habitus fuit cæleſti viſione, quæ palam oſtendit illi, caritatem ipſius in redimendis captivis eſſe impendendam, & unum hunc ob finem Inſtitutum ſuum efformavit, donec in mortis articulo poſitus Religioſis ſuis hoc veluti teſtamento legaverit admirabili cum fervore dicens, eos in hoc potiſſimum futuros veros Filios ſuos, ſi digne ſatis tanto hoc miniſterio perfungeremur.

Character S. Joannis de Matha fuit Dei amor, & proximi.

Caritas Chriſti urget nos. 2. Cor. cap. 5. Dei amor, & proximi, ſola extiterunt objecta omnium actionum S. Joannis de Matha. Omnes vitæ ipſius circumſtantiæ colligantur; ubique Caritas renidere videbitur. Ab ipſa pueritia æque ſe Deo, & proximo devovit; Deo quidem per votum caſtitatis; proximo autem bona ſua pauperibus diſtribuens: Deo vacans oratione, quæ illius præcipua facta fuit alimonia, ac deliciæ; proximo, illum redimens de captivitate: Deo, cujus cauſſam ſuſcepit, impugnans errores, qui ævo illius oborti ſunt; proximo, deterrens illum ab ineunda cum hæreticis conſuetudine, tanquam divini Verbi corruptoribus: Deo, ſerviens illi ſanctiſſimo, & æquiſſimo cultu; proximo vero, inſtituens Ordinem pro captivis redimendis, qui ſub crudeli Barbarorum ſervitio ſquallebant. Ergo Dei ſimul amor, & proximi æque urgebant Sanctum hunc Patriarcham, qui penitus ſe ſe utrique devoverat: *Caritas Chriſti urget nos.*

PARAGRAPHUS IV.

Loci, ac Sententiæ Patrum, & Auctorum, quæ S. Joanni de Matha poſſunt applicari quoad Redemptionis Captivorum Inſtitutorem.

In captivis fratribus nobis contemplandus eſt Chriſtus, & redimendus de captivitate, qui nos redemit de morte. S. Cyprianus.

Tanto quiſque perfectior eſt, quanto perfectius ſentit dolores alienos. S. Gregorius lib. 19. Moral.

Omnis ſumma Chriſtianæ diſciplinæ in miſericordia, & pietate &c. S. Ambroſ. de officiis.

Miſericordia largior, ubi fides eſt promptior. Nihil tam commendat Chriſtianum, quam miſeratio caritatis. Idem ibidem.

Nulla omnino re, perinde ut miſericordia, Deus conciliatur, quandoquidem nec aliud quidquam Deo magis proprium eſt, quippe quem miſericordia, & veritas præcedant. S. Gregorius Nazianzenus orat. de paupertatis amore.

Beati illi, qui ſubveniunt miſeris, quoniam illi rependitur, ut per miſericordem Dominum de miſeria liberentur. S. Auguſtinus de Sermone Dominico.

Miſericordiæ virtus tanta eſt, ut ſine illa cetera & ſi ſint, prodeſſe non poſſint. S. Leo in ſerm. de Apoſtol.

Miſericordem eſſe, eſt habere miſerum cor de miſeria aliorum; quando illam reputamus quaſi noſtram. S. Thom. in Matth. cap. 5.

Miſericordiæ opus præcipue in redimendis captivis poſitum eſt, quod præſtantiſſimum eſt opus; quoniam & animam a periculo abjurandæ fidei, & corpus a viliſſima ſervitute liberamus, quæ una in re inſignem pietatem declarant ſuam, qui vel illis commiſerentur. Unde S. Paulus Hebr. 10.

Nam & vinctis compaſſi eſtis &c. 3. *Mementote vinctorum ſimul vincti.* Salmeron tom. 5. tract. 16.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologiæ fontibus hauriri poſſit hoc in argumento.

Diverſis Ordinibus Religioſis in Eccleſia ſuum cuique eſt peculiare miniſterium; Ordinis S. Joannis de Matha munus eſt liberare captivos de manibus Infidelium. Ordo Sanctiſſimæ Trinitatis peculiariter devotus eſt redemptioni captivorũ.

Conſtans principium, & de quo inter omnes facile convenit, eſt varios ordines, quos in Eccleſia conſtitutos videmus, inſtitutos eſſe ad opem ferendam variis neceſſitatibus, quibus premitur, & ad exequenda divinæ providentiæ conſilia in illam, & in varios ſubditos illius. Alii per humilitatem, ac ſubmiſſionem ſuam mundi vanitatem impugnant; alii gulam, & ebrietatem frequentibus jejuniis; alii zelo ſuo peccatorum converſionem procurant; alii pauperibus ferunt opem pluribus officiis, per quæ de illis benemerentur. Non deſunt, quorum caritas ad mortuos etiam ſe potiſſimum extendat; & ex hac diverſorum membrorum varietate conflatum eſt Myſticum Eccleſiæ corpus. Sed licet Sanctiſſimæ Trinitatis ordo aliquid ex diverſis hiſce unctionibus teneat; tamen præcipuus ejuſdem ſpiritus, & ut ita dicam, proprius illius character eſt, ex voto, ac profeſſione in captivorum redemptionem ſe impendere. Hic ille Sanctus Ordo eſt, cujus Religioſi ſeſe ad maria traducenda aſtringunt; procellas, atque tempeſtates provocant, ut fidelium eleemoſynas ferant, & liberent eos de crudeli captivitate, qua apud Infideles premuntur.

Mundi hujus divites conſtituti ſunt in ſolatium pauperum.

SS. Patres de ſæculi divitiis loquentes in hac veritate conſentiunt, mundi hujus divites conſtitutos eſſe tanquam divinæ Providentiæ ſupplementa, pro pauperum ſolatio. Cum enim Deus, inquiunt illi, vel invexerit, vel permiſerit hanc fortunarum inæqualitatem, tenetur per leges providentiæ ſuæ calamitoſorum neceſſitatibus conſulere. Hoc autem non ſemper per ſeipſum præſtat, ſed in locum ſuum ſubſtituit divites ad replendum hoc miniſterium; & ad ſingulos eorum illud refertur Spiritus S. verbum: *Tibi derelictus eſt pauper; orphano tu eris adjutor.* (*Pſalm.*) Quod Patres de Providentia generatim docent, illud transferre poſſumus ad peculiarem hanc Dei Providentiam erga captivos, & ad hanc Eccleſiæ partem, quæ tot malis in barbarorum regione torquetur. Si minus illi proſpicit per ſeipſum immediate, liquet ab eo Ordinem Sanctiſſimæ Trinitatis ſuffectum fuiſſe, qui omnibus illius conſulat neceſſitatibus, eamque de Infidelium manibus eripiat. Singulis Ordinis hujus membris Deus miſeros illos egenos commendat; in illis queſcit, ſciens eos nihil prætermiſſuros, quod libertati cum animæ, tum corporis eorum conducat.

Servitus facta eſt quodammodo naturalis homini poſt peccatum.

Cum Patres noſtri jugum excutere conati ſunt ejus obedientiæ, quam Creatori debebant ſuo, ſtatim exuti fuerunt imperio mundi, & deinceps ſervitus unicum eſſe cœpit, propriumque hominis bonum. Hinc captivitas communis facta eſt non Judæis tantum, atque Gentilibus, ſed omnibus terrarum populis; in quibus ſervitus de jure gentium facta eſt. Fatendum eſt nihilominus, ambitionem, avaritiam, & crudelitatem jure ſæpe abuſas fuiſſe, & ſervitutem hanc in veram captivitatem mutaſſe, idque eo uſque ut captivos ad brutorum conditionem redigeret contra legem naturæ, & rationis lumina. Sed Dei Filius in mundum deſcendens Eccleſiam ſuam voluit conſtituere in ſpiritu libertatis, ut Apoſtolus inquit; & ex Chriſtianorum politia ſervitutem exturbavit. Conſtantinus primus fuit Chriſtianus Imperator, qui legibus ſuis Evangelicam probavit libertatem, ipſamque captivitatis nomen ſuſtulit. Itaque quatenus Chriſtiani, atque ad gloriam deſtinati, a Salvatore gratiæ libertatem accepimus, quæ ex peccati captivitate, dæmoniſque ſervitute nos eruit. Licet tamen homines hoc pacto integram adepti fuerint libertatem, cum dolore videmus plures chriſtianos captivos, qui in barbarorum carceribus gemunt, & amiſerunt libertatem corporis, & in periculo verſantur faciendi jacturam libertatis animæ; difficile quippe eſt permanere fideles Deo inter effrænes crudelitates, quas barbari exercent in calamitoſos ad fidei abnegationem ex eis extorquendam. Ut tot tamque terribilibus malis mederetur mundi Redemptor in Eccleſia ſua voluit conſtituere redemptores alios in Religioſis Sanctiſſimæ Trinitatis, qui potiſſimum operam ſuam locarent in procuranda libertate corporis, & animæ miſeris pauperibus; educentes eos de ſervitute adeo dura, eoſque in libertatem filiorum Dei vindicantes.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Aſceticis, recentibuſque Concionatoribus loci in S. Joannem de Matha.

Felix ingenium, & pia educatio S. Joannis de Matha.

Sanctus Joannes de Matha a natura præſtantiſſimum ſortitus eſt ingenium, mentem perſpicuam, ac illuminatam, ac propenſiones, & ſtudia paria ingenio, & conſiliis, quæ de eodem fovebat providentia, quod illi fuit inſtar fundamenti ad Sapientiam adquirendam, & poſſidendam. Inter ipſa balbutientis ætatis primordia interlucebat cor factum propter Deum, & proximum, propter Caritatem, & Religionem. Nemo unquam melius explevit monitum illud S. Hieronymi ad Romanam Matronam; ut ante cetera filia ejus primos intuitus in cælum attolleret, & balbutiens lingua ejus aſſueſceret, adorabile J. C. nomen proferendo. Gratia, & ratio ætatem prævenerunt; ejus judicium maturum fuit, cum alii vix ſunt rationis participes, eoque uſus non eſt, niſi ut Deo animæ, corporiſque ſui ſacrificium offerret. Hoc in facto ſequebatur parentum ſuorum impreſſionem nobilitate quidem inſignium, virtute autem inſigniorum. Cum ſanguine hauſit ab illis ſemina eorum, quæ toto vitæ ſuæ curriculo peregit. Miſeratio, qua illi afficiebantur proximi intuentes calamitatem, in filii animum migravit, & ſicuti ſemper diligentiſſimus fuit in omnibus, quæ ab illo poſcebat Deus, nunquam detrectavit eos caritatis actus, quos proximo debebat. Nunquam prava hominum exempla in corde, vel mente illius aditum invenerunt: quinimmo in eodem vim amiſerunt, quippe qui peccatores tanquam hominum calamitoſiſſimos intuebatur. Illos etiam homines vocare indignabatur, dicens, eo quod injuriam rationi ſuæ inferebant propter morum nequitiam, nequaquam mereri, ut hoc appellarentur nomine, quod illos tantum decet, qui rite rationis luminibus utuntur. In juſtorum dumtaxat cœtibus intererat. A puerilibus ludis ejus abhorruit pueritia, quæ in ea maturitate tranſacta fuit, quæ vix in ſapienti ſene exigenda fuiſſet. Provectioris ætatis oblectamenta adoleſcentiæ illius nullam aſperſerunt labem. Omnes illius dies pleni fuerunt, eamque ſibi legem irrogavit, ut a ſtudio ad preces, a precibus ad ſtudium gradum faceret. Ideoque tantum in Sanctorum ſcientia profecit, ut factum fuerit exemplar volentium exercere virtutem; in ſcientiis vero humanis ita præſtitit, ut magiſtri, doctoriſque lauream fuerit aſſecutus. *Magiſterii lauream adeptus, & virtutum ſplendore enituit. Recens Auctor.*

Idem argumentum.

S. Joannis de Matha conſanguinei virtutibus ſuis, quam dignitate ſpectabiliores eo majorem ſuſceperunt curam inſtitutionis illius, qua mater ipſius illum devoverat Deo, & ſub Beatiſſimæ Virginis præſidio collocaverat. Cum illi felix obtigiſſet ingenium, cor docile, ac temperamentum ſuave, celeriter ad virtutem conformatus fuit. Nullus in ipſo deprehenſus fuit niſi nobilis, & chriſtianus affectus, ac dicere poſſumus pueritiæ nugas illi ignotas extitiſſe. Nullam niſi in pietatis officiis oblectationem nanciſcebatur. Oris habitus mitis, & modeſtus, verecundia, & candor illius innocentiam indigitabant. Modicum puer fuit, modicum etiam adoleſcens. Amor ejus erga Deum, miſeratio erga pauperes, tenera erga Sanctam Virginem pietas ab ineunte pueritia certa fuere præſagia eminentis ſanctitatis, ad quam erat perventurus. Cum patri ejus perſuaſum eſſet mentem dilectiſſimi filii non minus ſtudiis capeſſendis parem eſſe, quam cor aſſequendæ virtuti, miſit illum, ut litteris operam daret, voluitque ſimul iis omnibus artibus exerceri, quæ nobilem decent. His Joannes vacavit, atque profecit; & multitudo variarum facultatum, nihil ejus obſuit virtuti. Eam ſibi vitæ regulam propoſuit, ut in ſtudium tempus neceſſarium tranſmittens, permitteret etiam ſuo fervori, ac zelo tempus ſingulis diebus in pietate proficiendi. Pecuniam, quæ ſubinde a parentibus ad ipſum mittebatur in ſolatiis impendendam, pauperibus erogabat, ac ut ſe a ſtudiis, atque laboribus recrearet, noſocomia inviſebat, & ex eo tempore hanc iniit conſuetudinem ægris ſingulis ſextis feriis inſerviendi. *P. Croiſet in Exerc. pietatis.*

S. Joannes illuſionem veritus conſuluit directorem ſuũ.

Joannes utpote qui norat quot illuſionibus ſit obnoxia probata pietas, & virtutem adverſitatibus immunem ſæpe degenerem eſſe, & in ſuperbiam migrare, timere cœpit; & ſalutem ſuam in fuga conſtituens, decrevit mundo vale extremum dicere, & quærere tutum virtuti perfugium in ſolitudine. Verum metuens, ne ſuis inhærendo cogitationibus ſeipſum deciperet, conſilium capere voluit, haud ignorans quam periculoſæ plenum ſit opus aleæ, ſuis inhærere luminibus; & gratias, quas a Deo accipimus, nonniſi per humilitatis, & obedientiæ organum ad nos pervenire. Conſuluit ergo confeſſarium ſuum, qui cum cæleſti lumine afflatus eſſet, & diutina rerum polleret experientia, non prætermiſit omnes explorare cauſſas, propter quas operabatur, ut cognoſceret, utrum quid levitatis, & inconſtantiæ deprehenderet in adoleſcentis vita, eumque hortatus eſt, ut etiam atque etiam negotium hoc Deo commendaret. Æqui bonique fecit Joannes de Matha hæc omnia conſilia; & qui illius conſcientiam moderabatur, brevi intellexit conſilia Dei de hoc adoleſcente, cui præcepit ille, ut iiſdem ſeſe per ſanctum receſſum præpararet. *Ex Sancti vita.*

Secutus Confeſſarii monitum in deſertum aufugit.

Joannes de Matha ſapientibus Confeſſarii ſui monitis adhærens, poſtquam humanioribus ſtudiis feliciter finem impoſuiſſet, ad tempus ſe in ſolitudinem conceſſit. Repentina iſta ſeceſſio conſanguineis illius non modicam attulit moleſtiam, qui cum illum unice amarent, abſentiam ejus pati non poterant, niſi ægre, & gravate, potiſſimum vero ignorantes cuinam cauſſæ præcipitem fugam hanc referrent acceptam. Sibi enim perſuadere non poterant, cum jam in illo tantam verecundiam, ſapientiamque fuiſſent admirati, illum ob levitatem aliquam diſceſſiſſe, neque locus illis erat credendi aliquo actum fuiſſe licentiæ ſpiritu, vel obedientiæ, quam illis præſtiterat pertæſum quodcumque aliud præterquam voluntatis ſuæ imperium excuſſiſſe. Inſcii ergo unde hoc factum fuiſſet, ut utrum divino id conſilio, & juſſu accidiſſet; diu, ac fruſtra conquiſitum Deo in ſacrificium obtulerunt, preceſque ſuas iterantes, tandem ex ſecunda revelatione intellexerunt, receſſum illum divinitus fuiſſe inſtitutum. Sanctiſſima enim Virgo, quæ piæ matri illius apparuerat, dum ventrem adhuc ferret, iterum eidem apparuit, cumque illam conſolata lacrimas abſterſiſſet, affirmavit, quam primum filium ejus affuturum, ſed antea opus eſſe, ut Dei conſilia adimpleret, ut ſe dignum præberet eo munere, quod ipſi divinitus erat committendum. *Ex eadem vita.*

Joannes in ſolitudine ſeſe penitus dat contemplationi. Magnas ſuſtinet tentationes.

Donec adoleſcens ſolitarius noſter in nemore horrenti, ac a mundo procul ſepoſito, Dei magnalibus vacat, quemadmodum non alios habebat teſtes myſtici hujus commercii inter ipſum, & Deum, quam Angelos ejuſdem ſpectatores, nihil de eo certi poſſumus afferre. Illud unum, cujus facilis patet conjectura, aſſerere poſſumus, ipſum tunc ſuas pœnitentias, jejunia, & auſteritates ingeminaſſe. Verum eſt illum poſtmodum aperire debuiſſe directori conſcientiæ, vitæque ſuæ, quidquid ſibi in deſerto contigerat; prælia quæ dæmon ipſi exciverat, laqueos, quos tetenderat, varia, & importuna phantaſmata, quæ ſeſe illi obtulerant, ut eum deterrerent ab cæleſtis vocis obedientia; naturæ repugnantiam, quam fuerat expertus, & ſexcentos denique obices, quos communis inimicus opponere conſuevit ſanctis animabus, & quos divina juvante gratia ſuperaverat. Illi etiam aperuit inſignes gratias, quibus cælitus auctus fuerat poſt tam gravia certamina, glorioſaſque victorias; intimas cum Deo communicationes quæ deſertum illud in deliciarum paradiſum converterant, ubi totum vitæ ſuæ ſpatium traducere optaſſet. *Vita eadem.*

Joannes Dei juſſu Pariſios ſecedit, ut Theologiæ vacet.

Deus cum magna iniiſſet de juvene hoc Eremi cultore conſilia, eum patriam domum repetere jubet ad ſuos, qui cognita Dei voluntate illum Pariſios miſerunt, ut Theologicis ſtudiis operam daret. Sed Joannes ſciens ſcientiam ſine pietate inanem eſſe, & mentem inflare, peculiaria vero lumina ex ſe ſola, niſi caritas adſit, perſtringere, & in præceps adducere, ubi Pariſios pervenit, nunquam ſtudio vacabat, niſi antea prolixæ orationi vacaviſſet; atque probe tenens Deum eſſe ſcientiarum Dominum, in oratione conſueverat ab eo petere lumina, a quo tot præclaras hauriebat cognitiones; plura ad aram, quam ex libris diſcebat; cumque Dei unius ſit aliquem momento doctum efficere, & ille ſe ſancti hujus noſtri inſtitutorem præbuiſſet, mirum non eſt ſi tam brevi in aliorum doctorem evaſerit. Nil erat menti illius invium; quæſtiones obſcuriſſimæ, quæ doctiſſimo cuique negotium faceſſere ſolent, eidem ita perſpicuæ videbantur, eaſque tanta perſpicuitate enodabat, ut facile inde judicium inferri poſſet illum ab eodem Spiritu Sancto fuiſſe eruditum. Scientia profecto illius infuſa potius erat, quam adquiſita, & licet illi eſſet ingenium ſublime, & admirabilis percipiendi vis, & ſtudii aſſiduitate, jugibuſque vigiliis conaretur illam perficere, ſimpliciter tamen nonnullis amicis ſuis ab eo ſciſcitantibus, undenam tot lumina hauſiſſet, reſpondit ex oratione, divinorumque myſteriorum meditatione illa ſe mutuatum fuiſſe. Sane ſcientia ſua tantam nominis celebritatem adeptus eſt, ut magiſtri, doctoriſque nomen ſimulac Diſcipuli promeritus fuerit. *Vita eadem.*

Eo Pariſiis degente quilibet illius amicitiam optavit.

Donec adoleſcens Joannes de Matha Pariſiis ſubſtitit, quilibet cum eodem neceſſitudinem inire ſtuduit propter inſignem ſanctitatis ejuſdem celebritatem. Omnia ejus colloquia porſus erant divina; ſibi conciliabat animos cum quibus loquebatur; & fatebantur omnes, ſe ab illius aſpectu nonniſi ægre, & cum ſumma virtutis ejuſdem admiratione diſceſſiſſe. Inter eos, qui eidem maxime familiares extiterunt, princeps facile fuit inſignis Joannes Lotharius, ex antiqua Comitum Signiæ domo, qui deinceps Romana purpura inclaruit, & mox ad ſupremum Pontificatus apicem evectus fuit aſſumpto nomine Innocentii III. Adoleſcens hic Princeps Pariſios migrarat, ut extremam adjiceret manum ſublimibus ſcientiis, quas labore comparaverat. Ubi primum Joannem agnovit, arctiſſimum amicitiæ fœdus cum illo conjunxit: Cumque eſſent genere, ætate, ingenioque pari, æque pias ſanctaſque fovebant affectiones, æque in bonum ferebantur, neque aliud iis erat conſilium quam Deo inſerviendi; invicem ſibi adhæſerunt, eorumque animæ fere ſeparari non poterant. Nihil ſane inter illos ſecretum erat; ultro citroque ſibi invicem ſecretas cogitationes aperiebant, cumque revelaſſet Joanni Deus ſua de Lothario conſilia, quadam die cum eodem colloquens dixit fore ut brevi ad S. Petri ſolium extolleretur. *Vita Sancti.*

Ejus vitæ ratio ita fuit admirabilis ut totus vacare videretur operibus miſericordiæ totus orationi, totus ſimul ſtudiis.

Quod vim adjiciebat ſermonibus Sancti Joannis de Matha, eique tantam circumundique nominis celebritatem pariebat, erat vitæ ipſius ſanctitas. Tota vitæ ejus ratio ſermo erat diſertiſſimus, vitaque omnium virtutum exemplar, ita ut eorum, a quibus agnoſcebatur, oculos in ſe converteret omnium, qui bonis ejuſdem exemplis, potius quam verbis erant illecti. Et profecto videre ne poterat aliquis, quin alliceretur, adoleſcentem, qui meliore diei parte in precibus abſumpta ſtudiis ſuis tempus neceſſarium impenderet, & reliquam partem in Xenodochiis, & carceribus inviſendis traduceret, ut verecundis pauperibus in abditas cellas ferret eleemoſynas, vel obviis per compita ſtipem erogaret. Videbatur quotidie poſtquam ſtudiis vacaſſet, colligere manum egenorum; quos domum ſuam deducebat, ut eos aleret, ſæpe ſe paratis abſtinens epulis, ut eas aliis comedendas præberet. Geſtiebat ille his menſæ accumbentibus miniſtrare; quodcumque ſibi a parentibus ſuggerebatur, ſtatim ab illo erogabatur, & ſæpe etiam emendicabat, cum largitatibus ſuis nummi deeſſent. Vix credibile eſt, quomodo ſatis temporis illi ſuppeteret ut has ſimul omnes ſanctas actiones conjungeret; & qui illum in Templis vidiſſet, hic ſane dixiſſet omnem illius curam eſſe, in orationibus, curam, quam gerebat pauperum, totum illum occupare, ſimulque totum tempus ſuum in ſtudiis impendere: adeo perfecte iſthæc omnia exequebatur. His tamen nihil obſtantibus evaſit non poſtremus inter Pariſienſis Facultatis doctores. *Vita eadem.*

Invitum Pariſienſis Antiſtes ſacris illũ initiatum, quo tẽpore ignis columna ſuper caput ejus apparuit.

Eminens Joannis de Matha ſanctitas Pariſienſi Epiſcopo comperta ſatis, & explorata, Præſulem illum impulit ad gregis ſui utilitatem Sanctum Joannem ad Sacerdotium evehere. Sed hæc dignitas Sanctum noſtrum deterruit. Obediendum tamen fuit, & Deus ipſe ejus conſecrationem proſequi voluit non vulgaribus gratiis; ignea quippe columna viſa eſt capiti ejus inſiſtere eo temporis articulo, quo illi manus imponebat Epiſcopus. Hoc miraculum, quod in illius Ordinatione contigerat, omnes in eam ſpem erexit, futurum ut in ejuſdem prima Sancti Sacrificii celebratione aliquid inauditum contingeret. Qua in expectatione cum hoſtiam conſecraret, viſus eſt nonnullis luminibus circumfundi, & in ipſa ejuſdem elevatione aliquantulo oculis in ſuperiorem aræ partem defixis permanſit. Tunc vere illi angelus apparuit ſub adoleſcentis ſpecie candida indutus tunica, & in pectore crucis imaginem referens rubri, cæruleique coloris: hinc inde habens homines duos catenis onuſtos, qui ſe captivos eſſe ſatis oſtendebant. Ex hac viſione intellexit Joannes, ſe a Deo ad magnum aliquod opus deſtinari; credidit tamen ſibi recentia Dei mandata eſſe expectanda, ac obſequens omnibus divinæ providentiæ conſiliis dicebat cum Apoſtolo: *Domine, quid me vis facere?* (*Act. 9.*) *Auctores varii.*

S. Joannes invifit ſanctum Eremitam, de inito conſilio ſuo illũ conſulturus.

Cum S. Joannes de Matha verba fieri audiſſet de quodam Eremita, cui nomen Felix Valeſius, qui in ſpecu quodam diœceſis Meldenſis clauſus vitam ducebat, illum convenit, conſulturus, & deliberaturus cum illo de iis, quæ ſibi divinitus fuerant inſpirata. Sancta neceſſitudo, quæ tunc primum inter duos hoſce viros inſignes coaluit propter conſiliorum conformitatem, ac ſimilitudinem virtutum, ac ſenſuum, palam oſtendit, illos divinitus electos fuiſſe, ut uterque ſimul ſpartam eamdem procurarent. Significari non poteſt quonam fervore

uter-

uterque ſimul certatim ad omnium Chriſtianarum virtutum praxim excitaverint ſe. Immodicæ erant eorum auſteritates, vigiliæ, & jejunia perennia, & oratio eorum erat negotium. Quadam die cum prope fontem de bonitate Dei verba facerent, viderunt ad ſe adventare cervum inter arborea cornua deferentem crucem illi parem, qua ornatus erat Angelus, qui S. Joanni de Matha primum celebranti apparuerat. Miraculum hoc coegit Sanctum noſtrum ut ſocio aperiret viſionem ſuam, & hinc uterque inierunt conſilium ſemet devovendi redemptioni fidelium, qui in Turcarum, aliorumque Barbarorum captivitate gemebant. *P. Croiſet.*

S. Joannes de Matha nō eligitur ſolum ad Chriſtianos de infidelium verū etiam de peccati ſervitute eruendos.

Antequam vobis exhibeam varia SS. Joannis de Matha, & Felicis Valeſii munera in redemptione captivorum, quandoquidem erant uterque Ordinis Sanctæ Trinitatis Inſtitutores; animadvertendum eſt Sanctum Joannem non appellatum dumtaxat fuiſſe ad unum hoc miniſterium, verum etiam ad liberandos fideles de ſervitute vitiorum; qua in re en quomodo ſe geſſerit. Permiſit Deus, ut duodecimo ſæculo peteretur undique Eccleſia pluribus Hæreſum generibus, quæ illi excidium portendebant. Inter abominabiles ſectas illas, Valdenſes, Albigenſes, & Apoſtolici majora Religioni Chriſtianæ detrimenta inferebant. Simulata primorum continentia, ſpecioſa ſecundorum paupertas, & poſtremorum zelus mendax cum omnigena errorum, & impietatum varietate conjuncta, ſpecioſos tamen colores præſeferentia, omnibus fere populis fucum fecerant, quorum rudis ſimplicitas, ut plurimum, non ſecernit hæc dogmatum genera, & verum a falſo nequaquam ſejungit. Eo tempore tres ſummos homines Eccleſiæ ſuæ largitus eſt Deus, Sanctos videlicet Joannem de Matha, Dominicum, atque Franciſcum, quos opponeret triplici hæreſum generi; quas ſinguli pro modulo ſuo, & ſecundum Dei præceptum impugnarunt. S. Dominicus Albigenſes prædicationibus ſuis; S. Franciſcus fallacem Valdenſium paupertatem, paupertate vera, & Evangelica; & S. Joannes de Matha Apoſtolicos ita nuncupatos, quia ſe veros eſſe dictitabant Apoſtolos, immediate miſſos a Deo ad reformandam Eccleſiam; dum econtra nihil inauſum atque intentatum relinquerent ad illam per teterrimas impietates evertendam; abrogantes partem Sacramentorum, potiſſimum vero Baptiſmum, quem infantibus negabant, adorabili Trinitati eripientes eos, qui ſalutari lavacro nondum abluti e vita migrabant. Igitur S. Joannes de Matha zelo ſuo vere Apoſtolico, æque ac jejuniis, precibus, & prædicationibus ſuis novos hos errores evertit; ſed præcipue per cultum, atque adorationem, quam procuravit, ut divino huic myſterio haberetur, non ſolum in Ordine ſuo, qui hoc peculiariter profitetur, verum etiam in Eccleſia univerſa. Igitur Deus in lucem edidit Sanctum hunc ad devotionem hanc inſtaurandam, quæ jam extincta fere videbatur, æque ac ad Fideles de Maurorum, Turcarumque manibus eripiendos, ubi innumera patiuntur mala, & ſemper in fidei periculo verſantur. *Ex vita hujus Sancti.*

Aſſectiones S. Joannis de Matha antequā vacaret redēptioni Captivorū, ad quam potiſſimum vocatus fuerat.

Quemadmodum Sanctus noſter nomen gerebat glorioſi Præcurſoris Filii Dei, atque in feſtivitatis ejuſdem pervigilio in lucem editus erat: credidit ſibi imitandas eſſe illius auſteritates, ac vitam pœnitentem: & ſicuti de magno Propheta illo teſtatur Evangelium, quod neque biberet, neque manducaret: Joannes, & Felix ſocius ejus, hoc enim utrique commune eſt, adeo modico victu alebantur, ut extra naturæ neceſſitates poſiti viderentur. Aqua & panis vulgo erant Joannis alimonia, quibus ſi quando addebat legumen aliquod, id efficiebat, ne filii ejus obſtupeſcerent, & ne illorum imbecillitas ineptos redderet imitandis auſteritatibus, vigiliis ejus, quæ æque admirabiles erant, ac ejus jejunia; quæ omnia cum in pœnitente ſeparari minime poſſint, æque ac cetera ad abſolutiſſimum perfectionis gradum evaſerant. Somnum reſpiciebat non ſolum tanquam mortis imaginem, verum etiam tanquam animæ ſervitutem; ubi omnes illius facultates nullis aptæ ſunt muneribus obeundis; quam ob rem illum veluti ſupplicium aliquod fugiebat. Aſſueverat corpus ſuum ad moleſtam hanc neceſſitatem ſuperandam, vel ſi quid quietis carpebat, quod naturæ negari non poteſt, id tanta cum præcautione præſtabat, ut cor illius vigilaret, donec corpus ad duas, vel tres ad ſummum horas reficeretur, idque humi ſolum, quod ejus ut plurimum erat cubile. *Vita Sancti.*

Sancti ambo Romā ſe cōferunt, ubi Pontifex inſtitutum eorū approbat, eiſque magna concedit privilegia.

Ambo iſti Sancti non ambigentes amplius quominus a Deo vocarentur ad procurandam libertatem fidelium ſub crudeli Infidelium ſervitute gementium, Romam adire cogitarunt, ut Pontifici ſummo ſuam mentem aperirent, & ab illo, quid ſibi faciendum eſſet, edocerentur. Sed donec ille deliberat, utrum recens hoc Inſtitutum ſibi ſit approbandum, necne; cum jam eorum caritate, ac zelo illectus, Sanctum illorum conſilium non ſine laudibus excepiſſet, cæleſtis ei contigit viſio, quæ omnem illi dubitandi abſtulit locum; cum enim in Lateranenſi Baſilica ſacris operaretur myſteriis; Angelum vidit eadem veſte, atque cruce ornatum, qualis S. Joanni apparuerat. Sanctus igitur Pontifex novum hunc approbavit Ordinem, voluitque, ut quicumque illum amplecterentur, candida veſte uterentur cum bicolori cruce, rubra quidem, & cærulea ante pectus, & arrepta occaſione ex myſtica iſta colorum varietate juſſit appellari Fratres ex Ordine Sanctæ Trinitatis, Redemptionis Captivorum. Sanctus noſter tunc inſtitutus fuit miniſter, vel Generalis Superior, cumque Pontifex cumulaſſet utrumque Eremitam beneficiis, eorumque Ordinem privilegiis, dimiſit illos etiam, atque etiam hortatus, ut inceſſanter ad hoc opus juxta inſtituti ſui finem incumberent. *P. Croiſet in exercit. pietatis.*

Inſtitutum hoc ingenti plauſu in mundo recipitur.

Satis exprimi nequit quo plauſu recens Sanctæ Trinitatis Ordo univerſo in orbe Chriſtiano fuerit acceptus. Cum opus eſſet Dei, quamprimum admirabilibus incrementis inclaruit. Hi chriſtianæ Caritatis Heroes ubique gentium habebantur, tanquam Angeli Cælo delapſi, a Deo miſſi ad liberandos de infidelium ſervitute captivos. Galliæ Rex Philippus Auguſtus illos beneficiis cumulavit. Princeps neſcio quis nomine *Cerfroi* dono eis dedit locum ipſum, ubi Ordo hic ſua habuit incunabula, & ubi ſtat adhuc prima Ordinis domus. Sanctus noſter longe plurimas ædificavit, creditoque earum regimine S. Felici Valeſio, Romam ſe contulit, ubi a Summo Pontifice donatus fuit Eccleſia, & domo S. Thomæ de Formis. Communitas brevi frequentata fuit, ibique Joannes præſtantiſſimos miniſtros erudiit. *Vita Sancti.*

Inſtituto hoc indigebat Eccleſiā propter barbarorū perſecutiones.

Si unquam recenti hoc Inſtituto indiguit Eccleſia, ut celeres illi ferret ſuppetias adverſus ea mala quibus affligebatur; hoc procul dubio tempore indigebat, quo Infideles perſequebantur Chriſtianos, qui tunc temporis crebro in manus eorum incidebant. Mauri Hiſpaniarum partem ſua ſub ditione tenebant; Saraceni in Palæſtina ſingulis diebus recentes de Chriſtianis triumphos agebant; Tartari jugiter irruptiones faciebant in Podoliam, Ucraniam, aliaſque partes Pannoniæ finitimas, quas ſe brevi Chriſtianis ad empturos minitabantur. Byzantinum imperium variis ſchiſmatibus ſciſſum quotidie ſenſim in Barbarorum dominationem ruebat. Ubique terrarum infideles illæ nationes late omnia depopulabantur, & inauditas exercebant crudelitates in Chriſticolas, qui in manus eorum incidebant: & proculdubio lacrimæ, ac juges gemitus tot captivorum fidelium in cælum aſcendentes Deum flexerunt, qui ut illos ex tot pœnis eximeret, & de vinculis liberaret, voluit in Eccleſia ſanctum hunc ordinem inſtitui per Sanctorum Joannis de Matha, & Felicis Valeſii miniſterium, Ordinem, cujus non aliud munus eſſet, quam tot captivorum libertatem procurare; & voluntatem hanc ipſe Summo Pontifici aperuit. *Ex vita eadem.*

Deus revelat S. Dominico inſtitutionem Ordinis SS. Trinitatis.

Neque modica fuit S. Joannis de Matha, ſociique ejus gloria, uno eodemque tempore juſſos fuiſſe a Deo recentem hunc Ordinem inſtituere; dignatus quoque Deus eſt hoc magno Patriarchæ S. Dominico aperire. Res ita acta, tranſactaque eſt. Sanctus hic vir Valentiæ ſtudiis operam navans egregiis virtutibus, factiſque heroicis tantam ſibi nominis celebritatem conciliaverat, ut tanquam Sanctus palam haberetur, & vulgo omnes ſeſe illius precibus commendarent. Mulier quædam, cujus frater in Maurorum manus inciderat, & in præſenti verſabatur periculo fidei, aut vitæ amittendæ, acceſſit ad Dominicum illum obteſtatura, ut fratris libertatem a Deo precibus impetraret, minime dubitans ſe illam ab eo eſſe obtenturam. Dominicus feminæ dolore commotus, at multo magis imminenti fratris periculo, in hæc erupit verba, quæ illi ſtuporem injecere. Nihil equidem facere poſſum, ait, pro fratre tuo, neque precibus, neque opibus. Peccator ſum, cujus rationem Deus habiturus non eſt; ſum adoleſcens, nihil poſſidens; ſed tibi polliceor, recipioque me æquo, ac libenti animo in ejus locum ſubiturum, & memet beatum exiſtimaturum, ſi me captivum pro illius libertate procuranda tradere poſſem. Obſtupuit mulier, & ſolum eum obteſtata eſt, ut pro fratre preces effunderet. Confeſtim id Sanctus peregit, cumque ſe ad crucifixi pedes provolviſſet, vocem hauſit dicentem ſibi; te ad captivorum redemptionem non deſtino, alia mihi ſunt de te conſilia. Ad hoc miniſterium Pariſienſem Doctorem elegi, nomine Joannem, cujus caritatem, virtuteſque omnes aliquando admiraberis. *Ex vita eadem.*

S. Joannes jamjam in Africā traducturus a Summo Pontifice legatus mittitur in Dalmatiā.

Quamvis Joannis vota Africam ſpectarent, ut ſeipſum traderet, quemadmodum teſtabatur, in commutationem pro aliquo captivo Chriſtiano; illum apud ſe Pontifex remoratus eſt; ut ejuſdem uteretur conſiliis in impeditiſſimis majoris momenti negotiis. Igitur S. Joannes miſit duos ex Religioſis ſuis Marochium, qui ſtatim centum atque octuaginta ſex ex Chriſtianis Captivis redemerunt; quæ res adeo zelum Sancti Patriarchæ inflammavit, ut jamjam in Africam ire cogitaret, cum Summus Pontifex ei Legati Apoſtolici dignitatem conferre decrevit, antequam captivorum redemptioni manus admoveret, miſitque illum in Dalmatiam. Dalmatia licet fortiter adhæreret Eccleſiæ per fidem, ab ea tamen per morum licentiam ſeceſſerat. Ibi gentium late graſſabatur corruptio; & populorum eorum licentia erat Religioni dedecori, & contumeliæ. Libidines, turpiſſima quæque flagitia, injuſtitiæ, odia, inimicitiæ nulli parcebant, ut ſibi ſatisfieret. Crimina, quæ pudor appellare vetat, publica erant; Verbo, Dei lex in Dalmatarum corde jam obſoleverat. Nihilominus tot inter flagitia ſatis admirari non poſſumus pietatem Regis, illis imperantis, qui ſolus in Regno totum fidei ſpiritum retinebat. Princeps hic cum nihil reliquiſſet inauſum, atque intentatum, ut tot malis mederetur, ad ſupremum ſe convertit Pontificem maxime ardentem zelo procurandi gloriam Dei, nunciumque Romam miſit oratum, ut urgentiſſimo malo quam celerrimam afferret medicinam. S. Pater illectus hoc jucundiſſimo nuncio pii hujus Regis zelum in Sacro Cardinalium cœtu expoſuit, decretumque fuit, ut ibi Synodus haberetur, & eo mitteretur Legatus; qui Summi Pontificis nomine illi præeſſet. Omnes conjecerunt oculos in Joannem de Matha. Opinio, quæ apud omnes percrebuerat meritorum, & altiſſimæ eruditionis ejuſ-

dem

dem ſummæque in rebus agendis dexteritatis, omniumque eximiarum qualitatum, quæ exquiri poſſunt in homine, cui legatio talis mandanda eſt, quibus accedebat vitæ Sanctitas cum virtute miracula operandi conjuncta, omnes in hanc mentem injecit ad hoc adeo ſublime miniſterium hoc digniorem eligi poſſe neminem. Tunc ſummus Pontifex, qui antea illum purpura inſignire voluerat, ut huic legationi major lucis, atque auctoritatis fieret acceſſio, iterum illum adniſus eſt inter purpuratos deſcribere. Sed obſtitit Joannes, cujus rarum humilitatis exemplum in eam ſpem omnes erexit fore, ut negotium illud perquam optime verteret. Neque illos ſua fefellit opinio, quemadmodum ſumus narraturi. *Ex vita Sancti.*

Convertit omnem aulā Regis Dalmaticæ, iterum ſacram purpurā decreſavit.

Eccleſiaſticæ diſciplinæ inſtauratio, reformatio morum, totius aulæ converſio nequaquam ſoli fructus extiterunt Legationis Dalmaticæ, populos confirmavit in fide, eoſque obedientiæ Sanctæ Sedis ſubjecit, atque pluribus oſtendit miraculis, quid valeat Legatus, qui ſanctus exiſtat. Pontifex illum reducem non flectere potuit, ut oblatam jam reciperet dignitatem; cedendum fuit ejus humilitati æque ac zelo; ac permittendum, ut in Africam votorum ſuorum objectum traduceret. Quo ubi pervenit, inflammavit fidem fere collapſam in quampluribus captivis. Martyrii deſiderium omnem illi mortis terrorem abſtulerat; Indefeſſus illius zelus in officiis caritatis eo proceſſerat, ut prope fuerit, ut a Barbaris jugularetur. Repertus eſt in Tuneti urbe vulneribus ſaucius; innatans in ſanguine ſuo, nimis ſe beatum exiſtimans, quod dignus habitus fuerit, qui aliquid pro Jeſu Chriſto pateretur, palam profeſſus, ſin minus Martyrium nanciſci poſſet, ſaltem id cupere ut in captivitate detineretur. *Ex eadem vita.*

Tuneto egreditur cū ingenti captivorū numero quos redemerat.

S. Joannes de Matha extrema flagrabat cupiditate ſanguinem ſuum pro fide effundendi; ſed Domino alia erant de hoc homine conſilia. Poſt labores plurimos Tuneto egreditur cum omnibus captivis, quos redemerat. Vix navim conſcenderat, cum Barbari illum certæ morti objicere ſtudentes furentium inſtar navim ingreſſi auferunt gubernaculum, ſuccidunt mala, diſcerpunt carbaſa, & non ambigentes amplius, quominus Sanctus cum ſuis facturus eſſet naufragium, illos ad ventorum, ac fluctuum arbitrium dimittunt. Sed Sanctus noſter in Deo confidens plenuſque fide, qua erat animatus, ſuum, fratrumque ſuorum pallia ventis expandit, Dominum orat, ut navis patronus eſſe velit, atque in genua procumbens, & Crucifixi imaginem manu tenens ſeſe providentiæ curis commiſit. Profecto geſſit Deus curam famuli ſui, ſociorumque, qui ſub tanto duce paucis diebus Oſtiæ portum ſubierunt. *Ex vita eadem.*

Quo in ſtatu haberentur fideles captivi ante S. Joannis inſtitutum.

Ad cognoſcendam caritatis S. Joannis de Matha magnitudinem, & quam optime ſit meritus de Eccleſia, quantumque debeat Ordini illius, qui in iiſdem caritatis officiis erga Chriſtianos captivos perſeverat; animus advertendus eſt ad miſerrimum ſtatum, in quo erant hæc Jeſu Chriſti membra, antequam Deus Joanni hanc mentem iiſdem opitulandi inſpiraret. Summa erat captivorum horum miſeria. Sine veſtibus fere, ac ſine cibis in teterrimi carceris partem imam relegabantur, unde non educebantur, niſi ut venales objicerentur tanquam jumenta in nundinis, in quibus virium eorumdem fiebat periculum. Heri eorum, erant quoque illorum tyranni, atque tortores, qui illorum cruciatus ingeminabant, prout illos in fide cernerent conſtantiores. Ægrotabant illi; in angulo ſtabuli relinquebantur ſine ulla ope, & quod illos ad deſperationem adigere poſſe videbatur, id erat, quod nulla illis affulgebat ſpes ex tam infelici ſtatu emergendi. Sed Joannes de Matha ſeſe illis offert liberatorem. Ædificat, & inſtituit xenodochia, carcerum illorum caliginem pervadit, agit cum eorum dominis de pretio libertatis eorum, eiſque corporales ſimul & ſpirituales Medicos procurat. Quænam fortis mutatio! Quænam Deo agendæ ſunt gratiæ eo quod huic adeo ſublimi miniſterio præfecerit famulum in eodem perſolvendo fidelem adeo, qualis extitit Sanctus hic Patriarcha! *Auctor Anonimus.*

Alia deſcriptio calamitatis captivorum.

Fingite vobis eas calamitates, quas Chriſtiani apud Infideles captivi ſuſtinent. Heu! Numquid illis ſydera ſuaves influxus inſtillant? quippe in altiſſimis carceribus ſepulti, quo dies lumen non penetrat, neſcirent quidem in Cælo fulgere ſydera, niſi alias illa vidiſſent. In arctis illis tetriſque carceribus tabidum reciprocant aerem. Numquid illis fructus terra producit? quoniam nunquam veſcuntur illis, & panis, qui illis ad victum præbetur, adeo modicus eſt, adeoque malus, ut vix viliſſimum quodvis jumentum aleret: *Tibi* Joannes, *derelictus eſt pauper; orphano tu eris adjutor.* (*Pſal. 9.*) Hos tibi pauperes Salvator credidit; hi carceres ſunt, ubi a te illos jubet conquiri. Cæleſtibus viſionibus te dignatus eſt Deus, ut hos calamitoſos homines redimeres, atque ut tuam pro illis objiceres libertatem. Joannes de Matha currit, evolat eo, quo vocatur a Domino, maria tranat, procellas provocat, Barbaros adit, denique pactam pro ſingulis mercedem perſolvens eripit de eorum captivitate miſeros, qui alioquin ad extremam adigebantur deſperationem. *Idem.*

Captivorum redemptorū gaudia.

Difficile profecto eſſet vobis omnia aperire gaudia, quibus calamitoſi illi affecti fuerunt, cum repente ſe in libertatem aſſertos conſpexerunt. Fingite vobis homines vulneribus ſaucios, catenis onuſtos, in teterrimum carcerem conjectos, ſordibus obrutos, unde non emergebant, niſi ut laboribus opprimerentur, qui jumenta tantummodo decent; quibus vix fruſtum mucidi panis erat; & qui fere nudi ſceleti potius videbantur, vel ſpectra animata, & qui nonniſi figuras hominum referebant. Videte has umbras, & larvas prodeuntes repente de carcerum ſuorum tenebris tanquam ex mundo alio, exemptas vinculis, ac priſtinam libertatem adeptas. Quis dicendo aſſequi poteſt gaudium, quo illi perfuſi ſunt ad libertatis adeo inſperatæ ſpectaculum! Par fuit etiam populorum omnium admiratio, qui ſatis Deum laudare non poterant, eo quod in Eccleſia ſua Ordinem inſtituiſſet, cujus Caritas eo uſque ſe extendit, ut proprios objiciat filios manifeſto periculo pro fratrum ſalute. *Ex vita Sancti.*

S. Joannes de Matha redeundo proximus ad clamores multitudinis captivorū ſubſiſtit.

Nihil ultra ſupereſſe videbatur Sancto Patriarchæ poſtquam ex Barbarorum manibus ultra ducentos captivos exemiſſet; quam cum gaudio navim conſcendere, cum omnia illi ea in expeditione benevertiſſent. Sed gaudium hoc ſtatim interpellatum fuit clamoribus aliorum, quos in captivitate relinquebat, cum illi modus eos liberandi non ſupereſſet; quandoquidem pecunia omnis fuerat impenſa. Horum igitur calamitoſorum manus ad Sancti pedes provoluta illum per Jeſu Chriſti viſcera obteſtabantur, ut extremum adniteretur de captivitate exempturus, elata voce inclamantes, niſi eos abduxiſſet, ſe fidem eſſe adnegaturos. Hæc miſerorum vox tanquam fulminis ictus Joannis auribus accidit, & deinceps confeſſus eſt, ſe obſtupuiſſe, quod tunc temporis anima ſua a corpore avulſa non fuerit; tantam ſibi vim fieri ſenſit. Quid tunc Sanctus noſter miſericors? Se ipſum offert pro pauperibus illis obſidem: hic extremus erat caritatis ejuſdem conatus; ſed Deus, qui alia de ipſo fovebat conſilia, paſſus eſt, Religioſos fratres Joanni obſiſtere, & quemlibet certatim ſeſe pro eodem offerre. Ille dolore confectus, & neſciens quem finem huic caritatis certamini injiceret, lacrimis circumfuſus ad Sanctiſſimæ Virginis pedes procubuit profeſſus, ſe inde nunquam diſceſſurum, niſi illa neceſſariam opem ſuppeditaret. Hoc erat, ut videtur, tentare Deum. Glorioſa tamen Virgo miſerta confidentiæ filii ſui, eidem apparuit, & in manus ejus tantum argenti reliquit, quantum ad tot animas de inferno redimendas, miſeros illos de manibus Barbarorum ſubducendos, requirebatur. *Ex Sancti vita.*

S. Joannis de Matha Caritas triplici modo refulſit.

Caritatem erga captivos a S. Joanne de Matha exercitam triplici pacto poſſumus conſiderare: Primum enim ſe ad pauperis qualitatem redigit, & ſuam obligat votis libertatem, ut factus captivis ſimilior per ſimilitudinem hanc fieret ad miſericordiam propenſior. Si igitur Sanctus hic ſeſe obligat, ſeſe propter captivos obligat; ſi ad perfectionem Evangelicam contendit, ideo contendit, ut ſuo miniſterio, quod ſibi in eorum gratiam obeundum eſt, uberiores cæli benedictiones conciliet. 2. Si ordinem inſtituit, huic non aliud officium, & munus eſſe vult, quam captivis prædicare, illos in iis, quæ ad Religionem pertinent, erudire, inter cruciatus conſolari, eoſque de ſqualore, in quo jacent vel numerata pecunia, vel propriæ libertatis pretio redimere. 3. Nobiſmet exhibere debemus magnum captivorum numerum, quem hic Sanctus, ejuſque Ordo ab ipſa inſtitutione ſua redemit. Videtur igitur Sanctus hic Patriarcha contendere, ut ſe perfectum reddat, & ad Caritatem exercendam idoneum. Videtur virtutes, zelumque ſuum tranſmittere in Sanctum Ordinem, ad caritatem hanc erga captivos perennandam. Videntur tandem Captivorum Coloniæ poſtliminio Ordinis illius beneficio redeuntes in patriam. Deus Caritas eſt; ſed Joannes de Matha, qui manet in Deo, & ipſe Caritas eſt; quia manens in Deo eodem ſpiritu animatur. *Recens Auctor.*

Captivi in vinculis gementes nos admonēt exſilii, in quo vivimus ſuper terram.

Audiſne vocem horum captivorum, qui per gemitus ſuos de ſervitutis ſuæ loco nos docent gemere in hoc exſilio, in quo vivimus? Sedimus, inquiunt, ſecus oras fluminis Babylonis; & flevimus dum recordaremur Sion patriæ noſtræ. Fruſtra qui nos captivos abduxerant, hortabantur, ut lætitiæ cantica concineremus, qualia dum Jeroſolymæ permaneremus, canere conſueveramus; illis enim reſpondimus; Quomodo cantabimus cantica Domini in terra aliena, & catenis obruti, uti ſumus? Talis eſſe debet ſermo noſter; in hoc exſilio ſuſpendere debemus muſica inſtrumenta; neque aliud promere canticum, quam turturis, quæ nonniſi gemitus edit. Sed ſimulac miſeri illi captivi præ gaudio exultarunt, ubi viderunt S. Joannem de Matha repente accedentem, ut illos de vinculis in libertatem perduceret; ſicut illi eum conſiderarunt tanquam a Deo miſſum, & ad hunc finem, & lætantes ſibique invicem gratulantes dicebant: in optatiſſimam patriam redibimus: *Lætatus ſum in his, quæ dicta ſunt mihi.* Oculos in Dei Filium liberatorem noſtrum debemus attollere, & nullum amplius ſolatium quærere in hoc exſilii noſtri loco, quam ut liberemur ope illius, quem miſit Deus, ut contritos corde conſolaretur. *Idem.*

Præſtātia Caritatis quæ in captivos exercetur.

Caritas, quæ in Captivis redimendis exercetur, eſt procul dubio præſtantiſſima, quoniam in ſe omnes eminentis hujus virtutis gradus complectitur; nihil enim præſtantius eſt, quam peculiarem gerere curam hujus partis Eccleſiæ in Turcarum carceribus, & barbarorum vinculis gementis. Pars hæc omni ſubſidiorum genere maxime deſtituta eſt propter pericula animæ, & corporis; ita ut dicere poſſimus miſeros illos in inferni ſuburbiis incolere, quia nullis mundi hujus bonis fruuntur, nullamque cum hominibus habent conſuetudinem; onerati, ut videntur, gentium omnium maledictis. In manifeſto ſalutis ſuæ periculo verſantur. Fides, atque Religio, eorum æque captiva eſt, ac illorum corpora in iis catenis; & propter hoc ipſum infortunium communibus Eccleſiæ ſubſidiis

ſunt